



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Ticinensia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

uentu iactata, sub sanctissima D. Marci alarū um-  
bra, tandem diuturnæ pacis otio fruitur, & felici-  
ter quiescit.

## IBIDEM.

ANTONIA ciuis Bergomi virgo, non minus  
animi, quàm corporis pulchritudine pollens; cum  
ab N. N. violentum in se stuprum parari videret;  
mortē pro conseruanda pudicitia vilipédens, gla-  
dio violatoris erepto: intrepidum sibi pectus trās-  
fodiens, singulari castitatis exemplo urbem hanc  
perpetuo illustrauit.

## TICINENSIA.

IN TICINVM IVL. CAES.  
SCALIGER.

**Q**VA citus Eridani ditat TICINVS arenas;  
Gratus honoratas hospitibus hospes aquas:  
Lux studiorum ingens, Regum pulcherrima sedes;  
Signat inexhausti iugera plena soli.  
Deiicta Italia, reliquis voluere relictis;  
Magnanimi hac potius parte sedere Duces. (est  
Pace tua, Hesperia alma parens, hæc dixero: quanta  
Quanta aue sum! totum es: pars tamen vna placet.

IN AËDE D. PËTRI.

SEVERINI BOETII EPISCOPI.

Mæonia, & Latia lingua clarissimus, & qui  
Consul eram, hic perij missus in exilium.  
Sed quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras,  
Et nunc fama viget maxima, viuit opus.

M 2

IN

## IN CATHEDRALI.

Michaeli Zieglero patritio Sueuo, qui plurimis eum Germaniæ & Galliæ, tū Italiæ ciuitatib. peragratis, ob præclaras animi ingenijq; dotes multorum gratiam conciliauerat. Demū hoc Ticinens Gymnasio aded in omni virtutum genere excelluerat, vt non minus in Philosophia, quā in Iuris prudent. atque in Musicæ modulis floreret; quæque cum in Syriæ ardoribus, æstus leniendi causa, Ticino amni natans se credidisset; eius vorticibus inuolutus, diem obiit anno M. D. LXIV. Non. Quint. ætat. suæ XXVII. Io. Corradus Corvicius, cui flebile desiderium reliquit, socius socio carissimo, atque opt. merito mœstiss. POS.

*Sueuia me genuit, rapuit Ticinus, habet nunc  
Vrna breuis. calidis te laue, lector, aquis.*

## IN CARMELITARVM.

Reuerend. Carmelita D. Archangelus Lafraconus Papiensis, insula Theologorum redimitus, Ticinensi Gymnasio viuens legit, legens obiit, legabat, vt doceret; sciebat, vt bene ageret. Anno M. D. LXV. VII. Cal. Decemb.

## IBIDEM.

IOAN. FRANCISCO DE S. NAZARIO A RIPA I. C. primi nominis Senatori, Dux, Com. Palat. HELENA GENTILIS VXOR, & VI. liberi.

*Hoc, hospes, potes æstimare saxo,  
Humani nihil esse non caducum.*

NICO

## NICOLINI DE S. NAZARIO.

*Vita bonum mendax. longo dignissime seculo,  
Hic tegit extinctum te, NICOLINE, lapis.  
Meu quantos Ticino luctus, lachrymasq; relinquis,  
Interpres legum, Concilijq; pater!*

## IN S. FRANCISCO.

ANONYMI.

*Non habitare ratione soli, nec stirpis auita,  
Immisere necem fata sinistra mihi.  
Nil hinc. indo preces fusa, nil pulcra iuuentus  
Profuit; instabilis stat sua cuiq; dies.*

BALDI I. C. FRANCISCANORVM  
HABITV CLARI, IN NOVO  
monumento.

*Vita, labor, studium, diuini cultus amoris,  
Artes natura, fulgentia dicta, legales  
Norma pastorum, quae sunt & caelica iura,  
Ornant Baldi animam, quae pudent dogmata clara.  
Et quia nunc linquit mortalis pondera carnis,  
Dulcia iam gustans auctoris pascua summa,  
Clauditur hic BALDVS, Francisci tegmine fultus,  
Doctorem princeps, Perusina conditus arce.*

Obijt M. CCCC. D. XX. April. in aurora.  
Gothardus Regna Mediolan. Ticinensis  
Gymnasij Rector instaurauit, anno Do-  
mini M. D. XLVII.

IBIDEM.

*Filium Astrea morum pater, artis alumnus  
Caesarea, verus religionis honos,*

M 3

BAL-

**BALDVS**, *Perusij ducens cognomen ab vrbe,  
Clauditur hic: animam sidera summa tenent.*

Baldus editiorem sortitus locum, hinc octo &  
decem suprâ centum annis obdormierat  
M. D. XIX.

---

FRANCISCI CVRTII SENIORIS.

*Sacrarum interpres legum, sanctissimus olim*

**FRANCISCVS**, *patriæ gloria magna sua.  
Quem probitas, quem cana fides, pietasq; decorum  
Fecerat, hoc positum marmore corpus habet.*

Obijt 1495. 3. Iulij. Bernardinus Curt. gra-  
tus filius fieri iussit.

---

LVCHINI CVRTII.

Tegitur hoc lapide **LVCHINVS CVRTIVS**  
I. C. patriæ decus, vitæ speculum, pacis amator,  
præcipuus vitiorum osor. 1502.

---

IN AEDE S. CLARAE.

**BLANCAE AIATIAE** coniugi, Augustinae  
**TVRRIANAE** matri, **BLANCAE SALIMBE-**  
**NAE** sorori, foeminis lectiss. **IOSEPH SALIM-**  
**BENIVS** Eques, tribus animis suis vnica pietate  
POS. M. D. LXXIII.

---

IN S. EPIPHANII.

**ANDREAE ALCIATO**, Mediolanensi I. C.  
Comiti, Protonotario Apostolico, Cesareo que Se-  
natori, qui omnium doctrinarum orbem absol-  
uit, primus legum studia antiquo restituit decori.  
Vix. ann. LVII. Mens. VIII. D. IV. Obijt prid. Id.  
Ianuar. Anno M. D. L. Franciscus Alciatus I. C.

A. B. M. P.

A. B. M. P. ad sinistram : μηδὲν ἀναβαλλόμενος.  
 Ad dextram : Ἄνδρος δίκαιος κερπὸς οὐκ ἀπόλλο-  
 τος.

## IBIDEM.

HIERONYMO TORNELLO I. C. Max. quem  
 ad intimam arcanamque iuris sapientiam enucle-  
 andam, & ad totius exemplum sanctitatis, & iusti-  
 tiæ, Natura pepererat. Hæredes opt. mœstiff. ad  
 tempus POSS. Vixit annos LXX. Obijt anno M. D.  
 LXX. x. Cal. Nouemb.

*Credite nunc vati augusto posse aequora claudi,  
 Cum, quicquid legum est, hac brevis vrna tegat.*

## AD S. AVGVSTINVM.

CHRISTOPHORO TRVCHSES. S. Rom.  
 Imperij hæreditario Dapifero, Baroni in VVal-  
 purg, Trib. milit. Cæs. in expeditione Africana,  
 ornamentis Equitis donato, D. Caroli V. Imperat.  
 manu.

*Austriacum in Turcas bellum, Caroliq; triumphum,  
 Tunisiae fauces, salsaq; stagna maris.*

*Virtutis monumenta tua immortalia perstant,*

*Corporis hic tantum stat fugitiuus honos.*

Otho Gymnasiarcha Fr. cariss. M. D. XXXV.

AD INTROITVM MARGARITAE AV-  
 STRIACAE, ANTE AEDES MAR-  
 chionis Malespinae.

MARGARITAE AVSTRIACAE, Cæsarum  
 prolis Philippi III. Regum Regis uxoris, Pudici-  
 tiæ ac gratiarum alumnae, omni virtutum splen-  
 dore ornatissimæ, Christianæ pietatis auspici re-  
 ligiosissimæ, pacis nuntia, publicæ salutis,

M † eute-

tutelæ, maximæ, felici, & augustæ, angusta quidem, sed læta domus.

## ITEM.

Intuere ingrediens, diuina Cæsarum propago, Regum olim iam sedem, quæ multoties pro singulari in Austriacos fide penè funditus euerfa, felicissimis deinde eorundè auspicijs instaurata, aurea qua nunc ouans tranquillitate potitur, præsentis tuo Numine, æterna perfrui sperat.

IN S. IACOBO EXTRA  
MVROS.

IASON MAINVS Iureconsultus, Eques, & Comes, quisquis ille fuerit, hic requiescit.

*Materia vincor, & tu vis ire viator?*

*Expeditiam; iacet hic ille MAINVS. abi.*

## AD CARTHVSIANOS.

IOANNES GALEACIVS Vicecomes, Magni Matthæi pronepos, sub Galeacio Patre ad magnam institutus, rem militarem primus in Italiam reduxit, bellator indefessus, suæ auspicio, & aliorum ductu, barbaros & hostiles exercitus, siue iniurias vlcisceretur, siue socios & amicos defenderet, siue regni fines ampliaret, occidione deuicit. Regum gener atque socer, affinitates, amicitiam, & societatem cum potentiss. Regibus iunxit, Religionem Dei amplexus, collapsa templa restituit; noua magnificè & opulenta extruxit; Hierosolymis sacellum & aras erexit: domi & bello disceptor prudens, iustus, magnificus; Papiæ scholas, & cuiuscunque scientiæ Doctoribus annua salaria instituit.

arces

æres, partim opere, partim situ & natura validas, munitiores, alias manu & opere inexpugnabiles fecit, gentes omnes à mari Tyrrheno ad Venetorum vsque littora sub fidem & imperium redegit, ex gubernatore regni dominus & Dux creatus, ad excelsa rerum humanarum fastigia viam affectabat, nisi in Italiæ iacturam fata intercessissent. Constituit moriens cor Viennam Allobrogum, reliqua intestina ad Gallæcos deportari, & in ædibus diuorum Iacobi & Antonij, ossa verò in cœnobio Carthusiensium iuxta Papiam condi testamento iussit. Vixit annos 47. m. 10. d. 19. Obijt 1402. Mediolani. Regnavit annos 24.

---

 IN AGRO TICINENSI,

Per quem Mediolano in ipsum flumen  
fossam nauigabilem Comes

FONTANVS duxit,

Martis, & Cereris hi campi sunt,

Non minus trophæis, quàm aristis clara.

Rex prælio victus, & captus,  
exercitus cæsus;

VICTORI CAESARI

PETRVS ERNIQVES ACEVEDIVS Comes Fontanus monumentum dicauit,

&

fossam nauigabilem Mediolano in Ticinum ductam

æternæ victoriæ famam,

vbique terrarum sparsam,

Perenni aquarum lapsu, & murmure  
in mare deferri voluit,

Vt hoc etiam elemento vagaretur.

*Inscriptio Eryci Puteani, nondum posita.*

M s MEDIO-